



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 73. Ejusdem Cnstitutiones[sic!] contra Lupanaria Romana.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1566.

conjunctum, & Margaritæ Sabaudicæ Ducis uxori diu familiarem sibi confignari postularet. Magister hic, cum Pontificis literas Cosmæ Duci porrigeret, Petrum istius mensæ assidentem invenit, nihilominus Cosmas, qui gratiam Pontificis obvio obsequio, & quavis alia ratione demereri in animum induxerat, ac Pii V. severiorem indolem reformidabat, neglecto amici periculo, eum sine ulla cunctatione tradidit, qui Romam perductus, atque accusante eum Achille Statio Lusitano convictus est, quod cum sectariis in Germania, & in Italia cum Victoria Columna Marchionis Piscarii vidua, necnon cum Julia Gonzaga nobilissimis feminis, sed de pravitate sectaria suspectis amicitiam coluisset, ideo tandem ad ignem damnatus est, nec minus postea Aonius Palcarius, cujus eruditionem singularem scripta ipsius testantur, eadem poena affectus est Romæ, cum convictus esset, quod Inquisitionem esse ficam in literatos districtam dixisset, atque indignum in modum contra sacrum hoc tribunal declamasset.

§. LXXIII.

*Ejusdem Constitutiones contra lupanaria Romana.*

K k 3

Pari-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1566.

Pariter idem Pontifex plures, easque admodum severas leges promulgabat contra lupanaria, ac meretrices, quas ex urbe quamprimum excedere, aut nubere, & si non parerent, publice flagellis cædi iussit: cum vero moneatur a nonnullis Proceribus, quod majoris mali periculum esset pertimescendum, præcepit, ut hæ mulieres lupanari includerentur, nec, ut prius, libere per totam urbem interdium, nocturne vagari permitterentur. Hoc edicto sperabat, fore, ut pudore utrinque incusso, & illæ mulieres sceleratæ vitæ renuntiaturæ, & viri infamiam veriti ad ea prostibula non ituri essent. Insuper statuit Pontifex, ut illæ, quæ in meretricia professione morerentur, in sterquilinio defossæ Sacramentis, ac sepultura Ecclesiastica privarentur: equidem intercessit ab initio urbis Senatus a sacro Ordine, qui palam non audebat, clam instigatus, qui hoc decreto hospitiorum pretia vilescere, & ad nihilum redigi, libertatemque antiquam tolli causabatur: nihilominus in proposito mansit Pontifex, cum autem rursus instaret Senatus, subirato vultu interminatus est, nisi castigationem admitterent, se Urbe migraturum, & alibi Sedem Romanam translaturum.

§. LXXIV.



§. LXXIV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1566.

*Alia decreta pro Pontificio Palatio,  
& Cardinalibus.*

Insuper rem domesticam ita instruebat Pontifex, ut magis vitæ ad prudentiæ, & sanctitatis regulas compositæ rationem haberet, magisque suorum Ministrorum probitatem, quam numerum, & mundanam eorum astutiam respiceret: unde, ut eorum quivis suum nomen, munus, & beneficia indicaret, petiit, & Sacerdotibus injunxit, ut quilibet saltem tribus in hebdomade vicibus sacris operaretur, ceteri autem Diaconi, vel Subdiaconi singulis quindecim diebus sacra Synaxi se reficerent: abs dubio enim Pontifex in illis eam animæ puritatem, ac pietatem supponebat, quam ad tantum Sacramentum digne recipiendum præmittere oportet: insuper illis, qui in Ecclesia quadam dignitate fulgebant, aut beneficia Ecclesiastica possidebant, præcepit, ut Tonsura initiati sint, atque a feris vestibus abstineant: præterea eos ad assiduam Sanctorum Patrum lectionem hortabatur, hancque in rem pro Clericis qualibet septimana Theologiam tribus vicibus tradi mandavit, atque illi, cui hanc curam imponebat, injunxit, ut hoc decretum exacte in usum

*Ciacon. l. c.  
Gabatius in  
vita Pii V.  
l. 1. c. 1.*

K k 4 deduc-